



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quod in nobis Deus requirat sibi simile, 19

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

postmodum etiam honesta sæculi despiciuntur, ad extremum etiam Dei intima conspiciuntur.

C A P V T X I X.

Quod in nobis Deus requirat sibi simile.

1. **D**eus Pater charitas est, Deus Filius dilectio est, Spiritus sanctus amor Patris & Filii est. Hæc charitas & hæc dilectio aliquid simile requirit in nobis; scilicet charitatem, qua velut quadam affinitate consanguinitatis, ei sociemur, & jungamur. Amor dignitatis nescius, reverentiam nescit. Qui amat, per seipsum fiducialiter accedit ad Deum, familiariterque loquitur ei, nihil timens, nihil hæsitans. Perdit quod vivit, qui non diligit. Qui autem diligit, oculos suos semper habet ad Deum, quem diligit, quem desiderat; in quo meditatur, in quo delectatur, in quo pascitur, in quo impinguatur.

2. Iste talis sic devotus, ita cantat, ita legit, & in omnibus operibus suis sic est providus & circumspectus, quasi Deus adsit præsens ante oculos ejus, sicut revera adsit. Ita orat, quasi sit assumptus & præsentatus ante faciem majestatis in excelso throno: ubi millia millium ministrant ei, & decies centena millia adsistunt ei. Animam, quam visitat amore, expergeficit dormientem. Monet & emollit eam, & vulnerat cor ejus. Tenebrosa illuminat, clausa referat, frigida inflamat: mentem asperam & irascibilem & impatientem mitigat: vitia fugat: carnales

les affectus comprimit : mores emendat, reformat & innovat spiritum : lubrica ætatis motus actusque leves coërcet. Hac omnia facit amor cum præsens est : cum vero abscefferit, ita incipit anima jacere languida, ac si cacabo bullienti subtraxeris ignem.

C A P V T XX.

De confidentia animæ amanti Deum.

1. **M**agna res est amor, quo anima per semetipsam fiducialiter accedit ad Deum, Deo constanter inhæret, Deum familiariter percunctatur, consultatque de omni re. Anima quæ amat Deum, nil aliud potest cogitare, nil loqui; cætera contemnit, omnia fastidit. Quicquid meditatur, quicquid loquitur, amorem sapit, amorem redolet, ita amor Dei eam sibi vendicavit. Qui vult habere notitiam Dei, amet. Frustra accedit ad legendum, ad meditandum, ad prædicandum, ad orandum, qui non amat. Amor Dei amorem animæ parit, & eam intendere sibi facit. Amat Deus, ut ametur. Cum amat, nil aliud vult quam amari, sciens, amore esse beatos, qui se amaverint.

2. Anima amans, cunctis suis renunciat affectionibus, & tota soli incumbit amori: ut possit respondere amori, in redhibendo amore. Et cum tota se effuderit in amorem, quantum est ad aliud fontis perenne profluvium? Non pari ubertate concurrunt amor & amans, anima & Deus, creator & creatura: tamen si ex toto se diligit, nihil deest,
ubi